



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

Richardvs Anglus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

114 SAXONIA CATHOLICA.

nia sibi subiugauit. Colonia, Moguntia, & Argentina Ecclesie assistebant, sed VVormatia, Spira, & alie Ciuitates & Oppida Rhemi, Sueuie, & Bauariae, & Metis fauebant Friderico, & filio suo.

An Do. MCCL Fridericus, inquit idem, amissis Theauris suis, & rebus alijs in Apuliam rediens, ibi graui infirmitate correptus, defunctus est. Et anno seq. 1251. Conradus Rex, filius Friderici, vt mortuo patre Sicilia Regnum susciperet, per mare in Apuliam deuenit, & capta Neapoli muros illius funditus destruxit, sed cum sequente anno introitus sui in Apuliam infirmari coepisset, clystere quod à Medicis iudicabatur ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem. Posthac VVilhelmus Rex à Frisonibus occisus est.

RICHARDVS
Anglus.

HAEC audiens Episcopus Coloniensis ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum Ducem Cornubiæ, quem ipse & Episcopus Moguntinensis elegerunt in Regem, scilicet principaliter. Præter eos enim ipsum quoque elegisse Comitem Palat. & Henricum Ducem Bauariæ multosq; alios, publicis literis suis, de quibus infra, fatetur Rudolphus Imp. Et paulò post cum deficerent ipsi pecuniæ, dederunt ei libellum repudiij, & per aliam viam reuersus est in regionem suam: cuius Regis memoria cum sonitu perijt. Tunc vacauit Regnum Romanorum annis

XXIII.

SAXONIA CATHOLICA. II 3

XXIII, vsq; ad tempora Domini Rudolphi. Huc vsq; Fragm. Hist. Author.

ALPHONSVS
Hispanus.

CVM Richardo quoq; electus fuit à nonnullis Alphonfus, Rex Castiliæ, sed qui turbulenta videns apud Germanos tempora, & funestos aliorum exitus, sponte celsit, & renunciauit. Quos inquam post Fridericum II. omnes scriptorum plerique silentio prætereunt, vel saltem Catalogo Romanorum Regum, & Imperatorum non inserunt,

RUDOLPHVS
Habsburgensis.

ELECTVS est tandem pacificè Francofurti, absens, in Regem Romanorum cõcordi Principum eorum, qui hodie soli ius eligendi habent consensu, & suffragijs Rudolphus, Comes Habsburgensis ex vetustissima stirpe Pharamundi, Franconiæ Ducis, antiquissimorum Regum Galliaë scil. Merouingorũ, item Austrasiæ, Burgundiæ, &c. progenitoris, oriundus, pridie Cal. Octob. Anno 1273. per Ludouicũ II. Comitem Palatinum Rheni, &c. in cuius eligentis vocem alij com-promiserant, & vota sua contulerant Archi-

** in crastino Michaelis, vt habet chron. Colmar. part. 2. fol. 40.*

H 3

episco.